DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXX. MARTII.

M. PETRO MORIAV Doctore Medico, Præside. 1132

Est-ne nimius aquæ potus veneris incentivum?

GENITVM quodque fluxum est ac caducum, constare vel momento non potest: Nascentes morimur, vitæ mortisque causam in nobis vnà consociamus: Illa μονὴ τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς σὺν τῷ θερμῷ, Hæc τούτου φθορά, cum scilicet assiduâ voracique caloris nativi in humidum primigenium actione flamma illa diuina καὶ ἀκίνητος, quæ vita nostra est, in auras abit & deperditur. Natura benigna parens & provida suos tam citò deperdi fœtus non patitur, ita rapaces fati ruinas continuâ nutritione, quantum potest, resarcit & remoratur in singulis, in omnibus eludit omninò generatione; quâ in ijs τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ θείου μετέχει ὡς οἷόν τε. Stupenda ejus in id opera. latentes igniculos suscitavit, amorem arte nullâ medicabilem; sexus distinxit, non unâ modò temperie, aut partium situ, sed variâ, pro veneris λειτουργία, genitalium compage; quarum unione, una in perfectis animalibus generationis ratio; sic Mustella, Vipera, Cornix, Pisces concipiunt, non ore; non aliter Perdices, sed coïtu; ut & Lusitanorum equæ, non Boreâ; minimè omnium in hominum specie mulieres aliter gravidari possunt; in id in utróque sexu commiscendorum corporum miræ libidines, voluptates prorsus ἐξαίρετοι, magnum ad venerem incitamentum, in corpore robusto, εὐκράτῳ, εὐσάρκῳ, sanguine, spiritibus & semine vndique turgido, exquisitissimo sensu prædito; verùm τὰ κενεὰ πάντα ἄνευ ὀχήματος.

VTERVS ὥσπερ κεχωρισμένον ζῶον ἐν τῷ ζώῳ καὶ αὐτοκίνητον, aptissimum Naturæ ad æternitatem aspirantis instrumentum, absolutione certè & operatione partium omnium postrema; intentione tamen, dignitate & robore primas tenet: huic tota auscultat Natura, mulieres ancillantur, viri deserviunt & militant; hæc ut impleatur, quæ ejus est insaturabilis cupiditas, ad penuriam & inanitatem rediguntur; hinc ab effrenatâ seminis emissione humidum primigenium, calor nativus, & spiritus insiti exhauriuntur, facultas omnis debilitatur & languet, sensus quilibet, memoria, mensque ipsa, quantumvis corpori non immersa planéque divina, hebescit & obtunditur; titubant partes motui destinatæ, arescit properè corpus, immatura senectus acceleratur & mors citissima; adeò-ut jam constet plurimos ex ipso veneris immoderato usu aut potius abusu, ac nimiâ quæ in eo per totum corpus excitatur voluptate, animam subitò exhalasse; unde non à solis testibus, non à solis principibus, etsi id multum sit, sed ab omnibus & singulis corporis utriusque partibus deciduum est quod ad generationem in uterum immittitur; ideo omnes omnium partium ideas ac species, etiam quæ adventitiæ sunt & contra naturam, secum defert; ideo Epilepticus epilepticum, Arthriticus arthriticum, & Claudus generat claudum. Illud cœcâ & divinâ virtute perennitati consulentes attrahunt testiculi, imò & regio ne dicam tyrannico dominatu partibus ne-dum nutritis arrogant sibi quod sincerissimum in eis est & robustissimum, quæ non ante cessat violenta tractio quàm ad omne corpus perveniat: quò fit ut proprio privetur alimento, donec omnium fortissima uterus cumulatissimè expleatur. At irritus ejusmodi conatus, nisi quod attrahitur semen multiplici coctione corpori prorsus assimilatum atque ideo incrassatum, συνεςὼς χαλαζώδες καὶ θρομβώδες effectum copioso sero exquisitissimè diluatur, quo velut ὀχήματι per vias easdem capillaresque venas transcolari possit & revehi per quas advenerat. ὥσπερ τῆς φύσεως παλινδρομούσης ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, τὴν ὑστέραν, ὅθεν ἦλθεν.

MAGNA in viventibus alimenti necessitas, major in animalibus, in hominibus maxima; citra cujus operam nec calor, nec vita, nec actio quævis perfici ullatenus potest; ab eo in animalibus morum, in hominibus ingeniorum diversitas; attamen ad hæc omnia prorsus inutile citra potum, cujus ideo non par modò, sed tantò major necessitas quantò conjunctum cibi, potûs & medicamenti sæpe usum habet; sitim imprimis, vel quam cibus famem tollendo inducit, sedat; caloris acrimoniam retundit; humidi primigenij dissipationem remoratur & reparat; coctioni cuivis, quæ in nobis elixationi similis est, inservit, cibos diluendo, miscendo, nativum calorem, qui coctionis author est, admovendo; confectum exactè alimentum quoquoversum deducendo distribuit, atque in augustissimas quasque singularum partium venulas penitus insinuat: eo dilutum per oscula aut cœca capillarium foramina roris modo facilè percolatur, in omnem partis substantiam illabitur, per omnia ejus spatia diffusum combibitur, eo velut glutine parti firmiter adhærescit, cui tandem exquisitè assimilatum unitur, supervacanea fermè omnia atque excrementa expeditiùs propelluntur suo quæque diluta sero, quod maximâ ex parte à potu est: hinc totum corpus confluxile, ξύρροια μία tam celebrata, πλήμμυρεις, ἀμπώτις caloris nativi, spirituum & sanguinis κίνησις ἔνδοθεν ἔξω, ἔξωθεν ἔνδον in morbis, eorum judicationibus, animi affectibus ac plerisque naturæ functionibus, generatione præsertim & repentino seminis ad excretionem vndique facto confluxu; ideo copioso circumfluit seroso humore, quod est οἷον περίχυμα καὶ περιείλημα τοῦ ἐν ἑαυτῷ παχυτέρου καὶ ὄχημα τοῦ ῥοίζου τῆς κινήσεως καὶ ἥδυσμα τοῦ ἐξαιρέτου τῆς ἡδονῆς: sic in lacte se res habet & καταμηνίοις absoluto fœtu, quorum & illius eadem materia, finis, temperies, quantitas: sic & in ipso utero, quandiu gravis est, in quo fœtus quasi innatans sursum ita tollitur ac vehitur, ut minori sit & sibi & cui hæret ponderi. Quæ omnia haberi nequeunt nisi liberalior offeratur potus quàm individuo sit satis.

VNA cibi ac potûs ratio, vtrique materia multiplex ac penè infinita: abundantiam hanc & copiam in hominum genere suppeditant, illi quidem viventia duntaxat, plantæ scilicet ac potissimum earum semina, in quibus triticum calidum, humidum, εὔχυμον, πολύτροφον, maximè ex eo confectus panis, aptissimum præbet alimentum omnibus naturis, ætatibus, vitæ institutis, anni tempestatibus, regionibus, robustis, infirmis, sanis, ægrotantibus, quibusvis morbi temporibus, sine quo vix salubriter vita conservatur, vix longiùs provehitur, vix alij quilibet cibi conferunt, quibus, si adsit, non incommodè careas. Hordeum, ex eóque confecta ptisana, integra in cibum, percolata in sorbitionem, decocta in potum, salubre, gratum & parabile alimentum sanis, ægris maximè, nihil viscidi & glutinosi habet ut reliqua pleráque, facilè transit permeatque, nullibi hæret, meatus potius abstergit & infarctus reserat, frigidior cum sit acrimoniam mirè retundit caloris, vnde plerumque in nobis malorum labes exoritur: facilè tamen & levi condimento in calidum deflectit alimentum, ad saturitatem licet quotidie eâ vtaris nihil succorum bonitati officies, vitæ longitudini accommodata infirmis, robustis etiam admixto pane. Animalia & qui ab ipsorum carnibus desumuntur cibi, à Domino post diluvium concessi in subsidium debilioris naturæ, qui propter totius substantiæ, temperamenti & consistentiæ similitudinem convenientissimi, familiarissimi, simillimi & ad vitæ diuturnitatem maximè accommodati, εὔχυμοι, εὔπεπτοι & proinde πολύτροφοι: in quadrupedibus, caro vervecina; in volatilibus, gallinacea. Piscium non item, frigidior quippe sanguis qui ex his conficitur, humidior, succi deterioris, substantiæ dissimilis, corruptioni magis obnoxius, faciliùs dissipatur, plura profert excrementa, pauciores spiritus. Potum plerumque præbent aqua, vinum, κρᾶμα seu diluta potio ex his variè inter se mixtis constans: horum etiam ingens diversitas cuivis naturæ, ætati, regioni, tempestati, vitæ instituto aptari potest. Hoc ad naturæ temperiem accommodatum, si moderatè sumatur, spiritus, nativum calorem, corporisque substantiam tuetur ac reficit, facultates omnes earumque functiones corroborat, concoctionem, alimenti distributionem, humorum æquabilitatem, & excrementorum propulsionem; seminis copiam, fœcunditatem, citam excretionem, motûs denique, sensûs, mentisque vires integras incolumesque conservat. Aqua optima optimus potus, sanè communissimus & maximè naturalis, principium rerum omnium & finis, ex eâ omnia constant & conservantur, omnia per omnia nutrit, in eam tandem resolvuntur omnia; ipsaque Venus, à quâ veniunt cætera, inde suam trahit originem, ex mari scilicet aquarum omnium collectione.

ΟΥΔΕΝ ἄγαν, πολὺ γὰρ πρός τι, quod uni nimium est, alteri idem parcius, idem alteri mediocre sive parti ejusdem totius, sive facultati partis ejusdem, aut alio & alio tempore etiam ratione ejusdem facultatis: μέγα τὸ ποσὸν εὐστόχως συναρμοσθὲν καὶ ἐς τὴν φύσιν, καὶ ἐς τὸ μέρος, καὶ ἐς δύναμιν, καὶ ἐς τὸν χρόνον. Cibi vis atque potûs ratione quantitatis una, non una sed multiplex. In viventibus τρέφει, αὔξει, βλαστάνει; nutrit ad conservationem, auget ad quantitatis & actionum perfectionem, germinat ad speciei æternitatem; nutrit quod satis est; eò quidquid accesserit nimium est, auget; quod nimio plus, generat. Omne nimium naturæ cuivis inimicum & infensum nisi cedat & absumatur in utilitatem aut necessitatem alterius. Naturæ sufficit, uni sibi dum studet, quod paucum; at æternitati dum consulit, vix satis est quod nimum. Insita cuique viventi ad hæc tria propensio, appetitus; naturalis sanè, qui ad vitæ conservationem inclinat; qui movet ad consequutionem magnitudinis perfectæ, magis est naturalis; maximè omnium, qui divinâ quâdam providentiâ non cœcâ temeritate ad speciei immortalitatem mortalem impellit. Si is suâ sorte lætus, licet brevì-perituâ, contentus vivere instituit, injectis appetitui frænis, severus vix satis, sibi à cibo potúque temperet, quibus nunquam ad satietatem, ne-dum ad fastidium famem implebit; sed multo minùs sitim, non vino quod facilè in ventriculo æstuans citissimè despumat in venerem insitâ sibi temperie, consistentiâ, totius substantiæ proprietate, καὶ τῷ εἶναι πνευματῶδη καὶ ἀφροῦ ποιητικόν. Hinc aptè Veneri jungitur Bacchus: sed ne simplici quidem aquâ ingurgitare se assuescet, ne distentio sanè ventris usque ad titillationem pertingat libidinis; flatuosa quippe, & aptissimum semini ad excretionem deducendo vehiculum, sine quo quantumvis stagnet in corpore inutile prorsus ad generationem, quo διὰ τὴν ὀλιγοποσίαν arefacto aut nullum est alimenti residuum, aut ante dissipatur quàm colligi queat & quod satis est perfici. Divinos illos heremorum incolas imitetur, qui ut carnis obtunderent aculeos carnibus ablegatis ἰχθυοφαγίαν induxêre; in locum triticei panis & vini, hordeum, aquam & in utroque ἀκρασίαν, præsertim in potu: cum ejus nimietate non minora voluptatis incendia quàm οἰνοφλυγία calorem in corpore accendi intelligerent: hinc plerique interdicto omni potu ξηροφαγίαν velut extremum indomitæ libidinis remedium amplexati sunt. Fugiat supinum, mollem & longum decubitum, equitationem, periculosam mulierum conversationem earumque attentas cogitationes, σκληροκοιτίαν opponat, ἀνυποδησίαν, sellulariam vitam, labores immodicos maximè supernarum partium, vigilias juges, continuam rerum divinarum contemplationem. Hoc vivendi institutum, non miserorum, non miserandum sed tutissimum adversùs miseriam ipsam perfugium, non sui in se ipsum sæva militia sed felicitas eximia. His artibus vixêre diu, sani mente, corpore robusti, læti, omni virtutum laude cumulati, sibi cæterisque mirè utiles, hominibus & Deo gratissimi. Hoc vitæ genus adversùs veneris incentiva sibi deligat velut optimum, quod reddet consuetudo jucundum.

Est ergo nimius aquæ potus veneris incentivum.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS LE MENESTREL, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXII.